B. N. C.
FIRENZE
1010
38

1010. 38

Digitized by Google

XXVIII
GR 14
1010
38

1010. [illegible]

JACOBI GRONOVII

DISSERTATIO DE ORIGINE ROMULI,

Recitata die xxiij Octobris,

Quum alterum ſtationis ſuæ quinquennium commendaret.



LUGD. BATAVORUM.

Apud JORDANUM LUCHTMANS.

CIↃ IↃ C LXXXIV.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

LECTORI
AUCTOR S.

Quam ſententiam in diſſertationem miſi, eandem ut in publicas quoque chartas mitterem, non mea eſt, ſed eorum, quos revereor, auctoritas. Expertus ſum, quam difficile negotium ſit, ut aliquid novum, licet percoctum, & iis fundamentis, quibus noſtra niti poſſunt, vel ſolidiſſimis incumbens, irrepat in animos, maxime quorum circus ab aliis neſcio quibus ante præclu-

ſus eſt. Itaque ut hæc ſaltem particula libera inde eximeretur, caviſſem ſedulo, niſi fortuna eam feciſſet poteſtatis alienæ. Præterea δεύτερος πλοῦς foret, ut ſi utique progredi eam oporteret, non ſic nuda exiret; ſed quæ illic contracta occurrunt, clariorem lucem præferrent acceſſione multorum, quæ cogitationi meæ inhærent, de Diocle illo; de ſpecioſa ſed non probanda tamen analogia in formandis diminutivis, nec tam bene procedente, ut opinantur viri inſignes; de Livii & Dionyſii differentia, & alterius vere Romana, alterius vere Græca primorum Romæ exordiorum contemplatione atque etiam enarratione; de Latii ſermone Græco, ut volunt; de pontificiis anna-

libus (quibus quo plus tribuit vir doctus in principio operis de Hiſtoricis Latinis, ut non ad conditam modo Romam extendat & Romuli fata inde trahat, ſed etiam ultra & ſine termino, eò certius ego inducor, ut opiner meram fuiſſe ſine cerebro larvam,) & fere de ſingulis, quæ attingere tantum potui. Id ſane extendi nunc debuit, & promptum mihi foret; ſed vetat infirmitas, quæ me ſpoliat ſtudendi inſtrumentis & undiquaque oppugnat; immo inde hanc ipſam quoque diſſertationem amaram facit. Quî ergo illam tibi, mi Lector, potero probare? Omnino ipſe nihil decernens opto te valere, & ſi ita vis, hactenus eam gratam habe, ut ſic quoque permittas te ad bona,

immo

immo meliora excitari, quod unice precor. Scripſi die XIV, quam hæc dixi.

MAGNI-

Magnifice Rector,

Perilluſtres, Splendidiſſimi, honorumque ac vitæ dignitate Eminentiſſimi, hujus Academiæ Curatores, Urbis Prætor, Conſules, Iudices, Senatores, quique iis à conſiliis, fide, & manu, Eximii & Perfectiſſimi Viri.

Exactiſſimi & laboris & ingenii in omnes ſtudiorum partes Profeſſores, Collegæ Honorati,

Conditores Ieſu Chriſti, Venerabiles.

Diſciplinæ cujuſque generis claritate inſignes Doctores; & quotquot alii adeſtis in bonarum artium opere florentes celebratique,

Tuque in mores & literas ſpectatiſſima juventus, felicitatis & ſpei publicæ pignora, theatri hujus formoſiſſima facies.

Si quiſquam, cui ætas concedebat juventutis ludo frui, locum, ubi delicias amore & blandiciis ſuis dignas invenit, recte in honore habuit, &, ſi non ex veteris ſtultitiæ more flores cotol-

 laſ-

laſque lætabundi animi documenta ſuſpendens conſecravit, ſaltem prætereundo ictus oculi in eum voluptatem memoriæ ex admonitione fortunæ prodentes identidem conjecit; ſi ædificia & cubicula, in quæ primum quis de matre cecidit, in caſtu aliquo & ſolennitate merito habuit; mirari nemo poteſt, ſi eadem prorſus ſedulitate occupatam mentem meam, & parem venerationis menſuram inculcatam mihi eſſe erga hoc ipſum, quod implemus, atrium, hoc, quod nunc me attollit, ſubſellium profitear. Nunquam ex quo hîc munificentia publica exhibeor, in hanc ampliſſimam regiam ingredior aliter, quam ſi ad dominicum & pietatis ſolennia prodirem. Nunquam Delphus aliquis feſtivitatis publicæ & ſacrificii ergo viam Pythiada per ambitioſa illa & aprica Theſſalicorum Tempium nemora majore caſtimonia peregit, quam ego ab privato lare ad hoc commune Apollinar, decantaturus matutinum hymnum, ire redire ab altero latere didici, & nunc ab altero iterare addiſcam. Nunquam editam hanc, cui inſiſto, concham adſpicio, quin fauſtiſſimis verborum cogitationumque honoribus ac feſta reverentia proſequar arridentem mihi gratius, quam ab dilectiſſimi oculi angulo proficiſci poteſt. Neque hoc idcirco, quod eam norim tot elegantiarum fuiſſe arbitram, tot ei impreſſas ab laudatiſſimis ingeniis imagines, neque etiam, quod

quod domeſticæ frequentationis per xx annos exercitæ illecebra frivole exſultem; ſed ſola, partim veſtra, Sapientiſſimi in ſtudiorum & publicorum & meorum curanda ſalute Septem-Viri, partim deceſſorum veſtrorum efficacia circa me ineffabili, qua quondam dedicationem linguæ hujus, & prima experimenta, ſi qui ſe nitor, ſi quà ſe facundi vigoris ſpes in ore meo inveniret, commendarunt. Quum enim ad collegii veſtri citationem & conſpectum exiguo uſu agitata indoles, non ſecus ac ad Adriani Imperatoris adventum Africa poſt vegrandem & ſiccam quinquennii maciem inopinanter irroraretur, & hic locus ſuffragio veſtro mihi adſignatus, poſt horæ momentum, me, quem vel indoctum vel non penitus ſcientem, quid poſſiderem, acceperat, prorſus ut Amphiaraum ſpelunca Phliaſia, antea idiotam, poſt noctis incubationem, vatem dimiſiſſet, atque adeo, quidquid illud erat, ipſorum adſpiratio expenſum mihi referre poſſet ac deberet, tamen ſic quoque ſermonem meum beneficio coronaviſtis. Beneficium dico: ſed ut beneficium eſſet integrum, ut ejus utilitas in omnem poſteritatem mihi procederet, ut quoniam nihil poteſt eſſe diuturnum, cui non ſubeſt ratio, licet felicitas ipſa adflare videatur; ut igitur, dico, interpres eſſe poſſem ac rationem reddere vel benignitatis veſtræ, vel felicitatis meæ, judicium addidiſtis.

Hoc quemadmodum ſingulare prorſus, prorſus magnificum & ad animi mei fructum ingens fuit; in tantum, ut in hujus loci, contra ignorantiam quoque meam imperioſi luce, in illius honeſtiſſimi diei fide, in prolixitate decreti veſtri renatus mihi videar: ſic apertis oculis & tenerrimo animo menſuram ejus ſentiens caſte reverenterq; habui, hanc adjutricem & in laboribus, quos in difficillimis antiquitatis partibus occupavi, comitem, & quaſi obſtetriciam artem, longe illa Socratica valentiorem, expertus ſum; denique hoc tanti apud me fuit, ut ab eo tempore velut præjudicatum vitæ ſimul & ſtudiorum eventum habens, hoc eſt, adeptus vota omnium & gaudia felicium, nullam aliam affectibus meis urticam innaſci paſſus fuerim, niſi ut inſtar Hyperborei, in hoc feſto ocio, lætus, ſacris his Apollineis operarer, & ex deceſſorum meorum inſtituto in hoc auguſtum nec vel ipſi Phœbææ Delo ceſſurum Palladium primitias identidem mittens, eniteſcerem. Sed hæc quidem commemoratio quum per univerſam vitam in pectore meo velut bonitatis veſtræ ſacrario vigilatura eſt, tum ea ſic indies accrevit, ſic nunc mihi incumbere cœpit, ut non modo infinitum deſiderium inditum mihi eſſe ſentiam, ſed etiam velut ſtimulo quodam tangens aperire juſſerit oculos ad videndum, quam hæc ipſa autumna tempeſtas ferream neceſſitatem & inexcuſabilem mihi attulerit horam, ut ſtuderem

derem fortunæ hujus loci libamenta inſtaurare & auſpicia inde repetere. Hoc, inquam, ſtipendium repoſcit me & vexillum exeundi proponit, quod juſſu veſtro circumcurſanti mihi nunc per antiquas Græcorum memorias, nunc artes, nunc ipſum ſermonem, atque adeo ex Batavis & oceano propinquis moribus in Græcos ritus cultuſque tranſeunti, implet primam Olympiada; tempus propter ſpectaculorum feſtivitatem per omnis generis artium commiſſionumque ludicra, per ipſam annorum numerationem atque adeo ipſam inſtitutionem lepidiſſimum. Hinc ut in reliquis, liceat mihi hac quoque in parte imitantem Græcos, vel ob ſalvam & compoſitam pentaeterida vitulari & ſuſcepta olim vota ſolvere, vel nova nuncupantem de futuro genua Palladis hujus, unicæ ſtudiorum fautricis; caſte pieque incerare, non quadrigas mittendo, non pernicitatis aut virium ludicris contendendo, & neque mera ingenii luxuria laſciviendo, ſed vobis præſentibus ſuperſtitibus in hanc ſtratam ſtudiis inventiſque doctrinis arenam inferendo religioſum ſeveræ meditationis meæ carmen & ſpecimen laboris, quem vos præſcripſiſtis: ut & in hoc autumni hujus flexu Academicus hic populus exemplo noſtro diſcat, qui mentis habitus ingreſſum hujus loci deceat, non hic adventicia & corpori apta cogitari; ſed hunc ludum more ca-

ſtrorum illis velut auxiliis & levibus armaturis utentem robur majus ab animo & ingenio deſiderare. Dum enim ut Olympiadum auctor Hercules ad invenienda ſimul ac amolienda, quæ hic illic hærent, incommoda circumeo, inter eruditos unum vel maxime tenebris obſcurum pariter & indomitum eſſe deprehendo exortum Romuli & Romanorum. Hinc diſcucurri ubique, & univerſa Græcorum non in ipſa Hellade tantum & quaſi patrio ſolo, ſed etiam in Majoris Græciæ per Italiam ſedibus, immo omnibus per maris mediterranei littora eorum coloniis, omnia, inquam, & oppidorum & templorum & monumentorum ſacra peregi, omnes arcanas ciſtas relevi, omnia temporis cujuſque momenta indagavi, an alibi Romuli inde exorti veſtigia reperire & vel umbram ſubodorari poſſem. Hujus igitur velut legationis liberæ acta dum palam renunciare geſtio, & ex more Parmenideæ philoſophiæ non modo veritatis fidem viamque, ſed & ipſas variorum hominum ſententias edere, vix ſcio utrum excuſare magis debeam, quod huc prodierim, an potius fauſta omina egerere in fortunam hujus loci, ad quem hæc hora inſignem adeo cœtum frequentavit, unde patet & ipſius & eruditionis tot eſſe amicos; nihilominus quum & hoc agam ſane, tum etiam vel moris cauſa vel firmitati meæ muniendæ permittatis rogo, ut ex illo ſe-

renarum

renarum frontium veſtrarum commercio dignam hoc conventu, hoc ſilentio, dignam communibus ſtudiis conſtantiam mutuer.

Per duo millia & quingentos fere annos celebratiſſimum eſt Romuli & ejus poſterorum urbis Romæ nomen, ſi non ob res geſtas, quarum veſtigia paſſim nunc quoque ſatis ſplendida ſuperſunt & tantum non ſpirant, certe ob ſola beneficia. Hæc enim fuit, quæ illa primum in Latio, mox extra illud aliorum populorum membra velut internecino bello ſe infeſtantia comiter conciliavit; & naturæ ſuæ, hoc eſt, amori mutuo ſocietatumque fidei ac molli diſciplinæ reddidit. Hæc artes ab Græcis multo ſtudio inquiſitas, & ſi non ſolis, utique operoſius illis notas & exercitas, ex illo velut Operto, ubi quaſi inter ſacros cancellos conditæ, profanos & quos dicebant barbaros fugiebant, prolatas tranſvexit ad alios, & Muſis non Heliconem, ſed univerſum orbem pro ſede adſignavit. Hæc mare, quod latrocinia clauſum ab omnibus ſeculis habuerant, navigabile fecit; hæc terram multis finibus diſcerptam coire juſſit & ſecuris itineribus aperuit. Omnia non alium in finem, niſi ut denique Chriſtianus Paulus Romanæ civitatis munimine ſecurus, per Cyprum & continentem propinquæ Aſiæ minoris tractum partim duris Judæorum ſynagogis luce illata, partim falſorum numinum in antris fornicibuſque fraude detecta, venire poſſet in

Phrygiæ Troada, & illic videre ſpeciem chlamydati Macedonis opem fidemque implorantis, ac illas preces, quæ tot ac tamdiu verſus orientem erant fuſæ, ad occidentis bonum vergere orantis; ante quod tempus quid fuiſti, o miſer Europæ? & poſt illud, quantum es immutatus? Stupuit tantis tropicis terrarum orbis ad illam vel Romæ humanitatem vel ſuæ conditionis inverſam indolem. Itaque evenit, ut hæc eadem comitas ſic omnes devinciens & originis ſuæ adeo neſcia, ut videatur ipſa notitiam ejus deſperaviſſe, perſæpe ex quo tempore liberaliorum artium inſtituta cæperunt moveri, aliquorum oculos magnitudine ſua verberaverit, & nunc hinc, nunc illinc nonnullos admonuerit, ut tantis fatis animum adjicere & conferre vellent vires ad videndum plenius, quod genus ipſi, unde hoc patrocinium ac refugium orbis, unde domo tam inexſpectati, inexperti, & ſimul immenſi beneficii munus: nec ſatis; ſed etiam ne inſtar Ulyſſis, quem quia Homerus canit veniſſe ad inferos & vidiſſe, non vero vidiſſe reginam, vir emunctæ naris quondam deluſit, quod vilibus umbris oculos ſuos commodare voluerit, non item pulcherrimæ digniſſimæque; ne, inquam, eodem dicterio jactarentur, in conſilium iverunt, unde ille populi, recentis quidem, ſed magni auctor fatalis rectorque Romulus. Neque vero celaverunt & inviderunt mundo id

quod

quod ipſorum perſpicaciſſima ſagacitas videbatur ſibi percepiſſe, ita ut forſitan tutius acturi ſimus, ſi ſequamur, quo illi volunt, & honoratam hanc turbam, quæ in domicilio auctoritatis locata & ſtudiis & ætate nos præcucurrit, etiam in divagando ſequamur, quam tendentes contra aliquid malignitatis attrahamus. In Romanis equidem ipſis factum abiit, monumenta patent; & per omnes terrarum partes, quæ ſub imperio illo fuerunt, hodieque indicia Romam & Romanos priſcos fatentur. Romulus eſt quaſi Socraticus Deus, quem ſapiens ille vir negabat ſe ſcire, quis eſſet, ſcire vero eum non eſſe; & præter nudum nomen paucaſque de eo veterum voces nihil ad nos pervenit; adeo ut is, qui operam hanc ſibi definiat, in tam profunda retro ſecula, in noctem adeo ſurva dubitationis variæque opinionis adſiduitate obductam intueatur, ut vix ſperare debeat ſe comperturum, quo hæc ejus ſurſum deorſum jactatio perventura ſit; plane ad diuturnam aberrationem demiſſus velut in immenſum arenarum æquor, ubi nullus vel per notam viæ vel ex arboris vel collis indicio vel etiam ipſius agri ſitu, ſed nec interrogando accolas comprehendi poteſt limes. Accedit, quod videatur ei congrediendum cum iis omnibus, quæ quum alios conatus adjuvare ſolent, hîc nihil niſi impedimenta apparent, qualia ſunt vetuſta fama ac traditio, ipſa hiſto-

ria, vel quam pro hiſtoria habemus, narratio, locorum ingenium, denique omnis Grammatica. Quin immo hanc difficultatem tanto magis ſuſpexi, quod infelix exemplum in his præbeat ab Halicarnaſſo Dionyſius, qui ante mille ſexcentos annos relicta ſua Caria, Romæ manſit hujus rei altius indagandæ ergo annos XXII, quantum temporis nos vix cum aliquo judicio per ætatem in ſtudiis ponere potuimus. Itaque quoniam omnia in hoc terræ ſolo nos deficiunt, & non modo viæ locus ereptus ſed ne vel ſubleſtiſſimæ cujuſdam lucis fulgor relictus, pignorantes tamen nobis omen oraculi primi Romulo dati, finem fore proſperum, muniemus viam ubi nulla eſt, & vel cœlum certe patere agnoſcimus & cum Dædalo non alis, ſed oculis pectoris ibimus illac, aut ſi id quoq; clauſum erit, in viſcera terræ agemus cuniculos, & ex ipſis inferis inſtar Orphei multum adoratis extrahemus Romulum; tanto confidentius, quod videam in anteceſſum multa ultro ſuccumbere vix exſpectantia adventum & laborem noſtrum. Sic fugientes mihi videre videor antiquas relationes, mortuas profecto nenias, non inde tantum, quod poſt aliquot centenos demum annos, quam res ipſa contigit, in mundum venervnt, nulla priorum ſeculorum fide nixæ, ſed etiam Græculum auctorem habeant, Dioclem ex Peparetho inſula, qui temporum iſtorum per

Ita-

Italiam inertia & ingenio ſuo abuſus, primus hiſtoriam Romuli ex Rheæ & Martis ſtupro nati & Amulii juſſu in profluentem abjecti, hinc ſervati & ab lupa nutriti, & quod attexuerunt alii, vel ab hac lupæ ruma vel muliere Roma nominati, prodidit. Ad cujus narrationis ſic temerario auſu profuſæ fidem nimium facilis fuit ſucceſſor hujus in ſcribendo Fabius Senator jam Romanus, & omnes deinceps ſequuti patriæ hiſtoriæ auctores; multi quidem non quod fidem eis haberent, ſed quod ubi firmius fidei ſuæ ſolum invenirent collocarentve, non habentes, deſtitutoſque eis præſidiis & inſtrumentis, quorum ope perpendi ſingula oportebat, veri quædam ut ſic dicam indiligentia obſederit, & ut de ſe Livius, nec affirmare nec refellere conſtituentes: quaſi hic non ſatis refelleret, primo appellans omnia ante condendam urbem conditamve poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis tradita; id, quod notari meretur, ſcribens tempore Auguſti facti Cæſaris per Juliam familiam; quæ non alio æque ſe extollebat, quam origine Veneris per Ænean: ſecundo omnes commentarios annales, ab Romanis poſſeſſos laudatoſque quaſi vetuſtatis & originis ipſorum cuſtodes, in decem primis libris ſæpe citans, ſed nunquam niſi ad refellendum & denudandos in eis errores,

pror-

prorſus enormes. Atque hinc eſt, ut nullam verear invidiam ab auctoritate temporis, quæ ut in multis magnam poſſidet vim, ſic in ratione doctrinæ adeo nunquam vel voluit vel potuit approbare, quod verum non eſt, ut ſit ipſa veritatis mater, eamque quum diutiſſime depreſſa & interclusa latuerit, ipſa ad emergendum & reſpirandum producat. Sic igitur utrumcunque horum prorſus me non premeret, ſi prout ab antiquis fuere edita, fuiſſent relicta, & talem Romulum in Italia natum prodigioſe, ut ſupponunt alii, ſic gratificari illis & floccifacere poſſem. Momenta & ſuffragia, quæ nuper illis ab noſtro ſæculo ſunt ſuperappoſita longe ut propiora & adjunctiora, ſic validiora, ut in Italia natus tamen Græcis attribueretur, ille doctiſſimorum hominum, quibus decedunt noſtræ vires, conſenſus, illa enimvero ſuperveniunt mihi permoleſta & acerba. Scripſerint licet de urbis Romæ originibus & Romuli nomine Cephalon aliquis, Apollodorus, Alcimus, Antigonus, ignotus hiſtoriæ Cumanæ auctor, Agathocles, Callias, Lembus & alii. Agnoſcitis ut Græca ſcriptorum nomina, ſic ad Græciam trahentes prima Romanæ magnitudinis exordia, velut ſuo jure; quippe univerſis aliis gentibus eam velut expoſitam ejurantibus & cuique obvio ad rapinam concedentibus in aliorum imperitia

peritia bacchabundi. Poſſemus hanc diligentem in componenda relatione induſtriam vel potius vanitatem eodem ſpiritu, quo condita eſt, tanquam plumas ex rapto collectas nec bene conciliatas vinctaſque difflare. Certe non morum aliquot ſimilitudines, non paria quædam inſtituta, non ſermonis in quibuſdam convenientia impellere nos poſſent, ut vere ſtatuiſſe illos crederemus originem Romuli ad Græcos referendam, quum & alibi ſimilia reperiri poſſent. Sed quod ipſa Romuli appellatio propriam in Græco ſermone ſedem habere nuper demonſtratum ſit ab aliis celebratiſſimæ famæ viris, approbatum rurſus ab aliis, id vero nos angit. Major & meis & omnium laudibus fuit majeſtas ingenii Salmaſiani. Is ergo princeps vir quum ad hanc partem quoque ſe applicaret, videnſque omnia ſcribentium ſecula huc facere, ut in Latio regnaſſe oſtendant tum Græcos, tum ſermonem Græcum, atque etiam inde trahant Romanos, vividam ſuam indolem eò transferens putavit in ipſoRomuli vocabulo reperiſſe certa Græcitatis, ut ita loquar, veſtigia; hoc conſilio, ut quum id conſtaret, remotis ab omni vindicationis jure aliis linguis, ſponte ſic ſequeretur non niſi in Græcia quærendum eum eſſe. Ab hac igitur inductione motus vir in deprehendenda vocum

origine verſatiſſimus pronunciavit Ῥωμύλος eſſe diminutivam ſpeciem vocis ῥῶμος, quæ per Æolicam dialecton deflexa par ſit Latinæ voci *robur*, & in ſimilem hujus derivationis copulam conjicit quædam alia, plene ſane illa Græca, ad hoc exemplum ſimul trahendum: neque ex eo tempore librum hujus generis ullum videas editum, qui non hoc invento ſuperbiens & exornatus, videatur multis partibus malle omnia deſerere, quam hanc opinionem. Immo noluit ab hujus conſpirationis fœdere abeſſe Vir doctiſſimus Voſſius major, quin & auctoritate ſua momentum ei adderet, & inſuper augeret ſcribendo videri ſibi ab eadem origine Latine dici Remus pro Ῥῶμος, eadem duarum vocalium confuſione, quæ aliis vigentis reipublicæ vocibus contigit; quin etiam hic præterea metuere ſe dicit, ne ex eo, quod alii ab Romo, alii ab Remo conditam urbem ſcripſerint, orta ſit fabella de duobus fratribus Romo & Remo, cum unus idemque ſit Romus & Remus. Ita igitur quaſi manu & clypeata quadam auctoritate, ſi non venerabilium horum hominum, certe ipſorum argumentorum, videtis non tam cogi ad currendum volandumque in eandem ſententiam, ſed omnia circa diverticula tam acutis duriſque muricibus ac tribulis ſtrata & impleta eſſe, ut quaſi videamur repelli ab omni alia ſuſpicione. Et certe quum Græcæ literæ olim fue-

rint

rint inſtar Mercurii illius in antiquo viæ Appiæ marmore paciferum caduceum & cornu copiæ adferentis & porrigentis verſus ſolem geminis inſtructum facibus ad orientem ſimul occidentemque denotandum, quam profecto pacem & copiam Græci per utraſque illas mediterranei maris oras circumtulerunt: rurſus Græcæ literæ fuerint deinceps adminiculum ad enuncianda ſalutis publicæ arcana; quum ex Græcis literis ipſa eruditio trahat tantum ornamenti; quis eſt, qui illis non faveat, & detrectet illos parentes Romanorum mari terraque pacatis gloriantium? Me vero quis vivit devinctior Græcis? quorum interventu præter multa alia, etiam quod ex hoc loco vos alloquar, quod utcunque placeam, ipſorum eſſe confitear illiſque debeam; ut profecto cauſam nullam habeam,ut non ampliſſimos & honeſtiſſimos Græcos eſſe cupiam, atque adeo etiam auctos gloria originis Romanæ; verendumque mihi præcipue ſit, ne ſi quid obviare velim, id non aliunde conari exiſtimer, niſi quod nimium illis incubem & ſim adfixus, more illorum, qui rem aliquam nimis prope contemplantes,inde nequaquam exacte dignoſcere comperiuntur: ſed ſi juſto intervallo intueantur, omnia liquidius apparent, & utrum bene an ſecius comparata ſint, decernunt recte riteque. Nihilominus quum in reperiendo vero non tam id agi oporteat,

ut ad-

ut advertas, quis dixerit, quam quid dicatur; ſic nos quoque ſeparata dignitate ſcribentium ab eo quod ſcribitur, ſumemus liberum cenſendi jus; præcipue quum ſi quis omnia tractet caſtigatius, fieri nequeat, ut non ſuſpicio ac dubitatio ſuboriatur, an non in venis, unde corpus & fabrica hujus pronunciationis conſtat, incluſum lateat aliquod periculum, & magnum pateat intervallum inter illam & rei ipſius fidem. Quod enim primum eſt, certe Voſſiani timoris aculeus ſtatim velut evulſus hebeſcit, locum juſtum non habens: quippe quum ante tempora Dioclis nullæ fuerint narrationum diverſitates, ut alii ab Remo, alii ab Romo conditam ſcribere potuerint, ſed omnes, quæ habentur, natæ ſunt poſt illum, & fabella de duobus fratribus in mundum venit, antequam alii de Romo, alii de Remo cogitaverunt. Quod quum ita ſit, ſimul etiam jugulatur ac ruit id, quod huic metui inædificatum audivimus, & ex commixtione in quibuſdam Latinæ linguæ vocibus vocalium ſecundæ & quartæ per poſteriora tempora exſtitiſſe Remum pro Romo, plane non niſi conjectura eſt quam maxime vacillans: ſi tamen etiam vel tanti eſt, ut conjectnræ appellationem mereatur, quum adhuc hodie in eadem lingua exſtet vocabulum inſtrumenti ad agitandas naves: cujus talem originem ne quidem ſomniavit quiſquam. Quod ſi eandem

ratio-

rationem deducamus cum altero, & ſepoſito illo admirationis publicæ prætexto, quo oculos omnium obumbrat ingens Salmaſii nomen, quantamcunque etiam ſpeciem ac veriſimilitudinem præ ſe illud ferat, prorſus gradum quoque non tenebit Quod enim primum eſt; quis credet tunc temporis ita viguiſſe Grammaticen Græcam, ut etiam paſtores Latinorum reverentiam illi exhibuerint, fingentes diminutiva ſecundum ejus definitiones? Si Græciam ipſam contemplemur, erat tempus, quo nulli adhuc cura fuerat in hiſtoriam conferre res geſtas, & vel ſua vel majorum tempora in annos & volumen digerere, & poſteritatis habere memoriam. Utique ſi quod huic diſputationi auſpicium facere poteſt reſpublica Romana, multo ſane poſt hiſtoriam illuc intravit Grammatica. Etiam philoſophiæ & reliquarum ſapientiæ partium quantus vigor & cultura fuerit, fatentur VII ſapientes circa initia Perſicæ magnitudinis florentes, hoc eſt, ducentis paulo plus annis poſt Romam conditam. Ex his quum appareat reliqua ſtudia ipſorum Græcorum fuiſſe tunc temporis admodum debilia & quaſi etiamnum in faſciis & cunabulis, tum nulla adhuc Grammaticæ ratio; an credi poteſt in Latio, quod ipſum ne vocabulum quidem Græcum, viguiſſe tunc inter paſtores id doctrinæ genus, ut eo more

quo deinde Grajæ nutrices ac majæ palpaverunt infantes ſuos, ipſi fuerint uſi? & regi Romulo velut alteri Caligulæ placuiſſe id ipſum nomen blandiendi gratia puero impoſitum uſque ad finem vitæ? Nulla cauſa, nulla ſpecies eſt, cur quiſquam ad id moveatur: immo tanto minus, quod quum conſtet Neapolin & Cumas, duas ſatis claras urbes, ab Græcis fuiſſe conditas, de Cumis tamen teſtetur antiquitas, quoniam ea urbs vicinior erat Oſcis, ab Oſca vicinia eam fuiſſe vitiatam, ſic ut omnia Græci & moris & ſermonis veſtigia illic perierint. Et nos credemus Latium, quod adhuc non conſtat ab ullo Græco inhabitatum fuiſſe, niſi ad neſcio quas peregri nationes accedere velimus, certe ab altero latere vicinum iiſdem Oſcis & Volſcis, nil niſi Græcum poſſidere? Quare ſi bonam mentem obſervare placet, explodenda eſt ab Romuli nomine Grammatica Græca aut formatio ex ejus præcepto inventa: & licet poſtea certus uſus in producendis diminutivis extiterit apud Græcos, atque is huic ipſi vocabulo congruus, plane tamen huc convenire illum non cenſemus. Sed præterea ſi in Romuli appellatione conſiderandum eſt aliquid ſaporis Græci; an adeo ea ipſa & orta eſt & rurſus abolita in ſolo hoc viro, ut nullus nec in ipſa Hellade nec in majore Græcia nec ante nec poſt eodem fuerit nomine? Marci prænomen ex gente Manlia poſt Marcum Capitoli-

tolinum ejectum novimus: etiam Tarquinium nomen ex republica Romana: an Romuli quoque hoc nomen adeo, quum fuiſſet Græcis ante hiſtoriam ſcriptam & priſcis Latinis uſitatum, mox diu intermiſſum, at in hoc noſtro tandem repetitum, denuo viſum eſt poſt popularibus inauſpicatum, ut nemo id ſibi vel ſuis induerit? Quod tale nomen ulla in gente exſtat, quod quum nihil contineat notabile, nihil ſingulare, tamen ejus non majorum aliquis, non poſterorum ſit conſors factus? Jam ſi ad animum vocemus, quod facere neceſſe eſt, nempe videre nos appellationem Romuli circumdare Procam, Amulium, Numitorem, Rheam vel Iliam, & maxime Fauſtulum, omnia nomina prorſus peregrina, eodem tempore in Latio vigentia, atque ſic ei propria, ut quum vel illic nata vel aliunde ſint importata, tamen certe non Græcam originem, ſed qualemqualem potius præferant? Et nobis placet ex his unum excerpere & velut eximium facere Romulum, quem inter paſtorum ludicra, inter pecora & latrones, Græcæ Grammaticæ gratia ſuſceperit? Ego vero magnopere & inprimis miror, cur ab hujus notitię privilegio ita liberum maneat nomen Faustulus. Agnoſcitis in illo & ſuſceptore & altore Romuli indolem ejuſdem & paris terminationis. At ex viris doctis nemo ad probandam illam in Romuli vocabulo diminutionem in exemplum

citat hunc Fauſtulum, ſed neſcio quæ peregrina & certe Græca citantes, hoc indigena & haud dubie convenientiſſimum futurum prætereunt taciti; quum nulla ratio non evincat, ut ſicut hæc duo ſunt eorundem annorum, ejuſdem formæ, in eodem tractu nobis audita, ita eandem illis rectiſſime admoveri cauſam. At vero ſicut Romulus non eſt Græca appellatio, ita nec Fauſtulus, cujus veram & pronunciationem & ſcripturam non ab Livio & ejus æqualibus petere debemus, ſed ab antiquioribus indiciis, in quibus duo excellunt, nummi nimirum publice cuſi, in quibus ille ſcribitur FOSTLUS vel FOSTULUS, & antiqua inter Romanos familia Foſliorum, haud dubie hinc deſcendentium, quos nemo unquam vocavit Fauſlios. Eant nunc & Græcæ aut linguæ originem aut Grammatices conſuetudinem ad partes trahant, ut quid velit ea vox, nobis declarent.

Exiſtimo, Auditores, me, ut cum Paulo noſtro loquar, deglabraſſe luxuriam ſilvæ, & illas frondes comaſque, quæ adeo denſæ irrigantibus virorum doctorum ingeniis ſe ſuper nos ſuſpenderant, tam craſſo fornice circumtegentes, ut omne ſi quod ulli melioris lucis radio reſtat, pervium ſubmoverent & clauderent, paulum ſaltem attondiſſe. Nam quum non modo vos mecum feſtinetis ad liquidiorem & magis ſolidam veri ſpectationem, ſed ipſe mihi videatur

tur Romulus velut appetentibus ei fatis oggeſtire, ut erumpat & adſpiciatur clarius, cur tanquam in ſquallido incili detineri nos patiemur in Cluverii labore & irrito prorſus & illaudatæ licentiæ pleno detrectando, qui quum pluribus hoc egiſſet, ut omnia vulgo nota everteret, & poſt hæc plane ubi veſtigium ipſe firmum figeret, ſibi non tantum non reliquiſſet, ſed ne miſerrimo ſaltem modo hariolari poſſet, ipſam prorſus hanc vocem, non ut propriæ appellationis, ſed ex communi uſu inter Græcos petitam oſtendit, quia apud illos ῥωμαλέος fortem deſignat. Non ſecus ac ſi ſtatueret Latinam dialectum ſic ſolere abire, nec poſſe Latinos Græcoſque convenire in voce ex iiſdem literis compingenda: quaſi non quem Græci dixerunt κεφάλαιον, hunc eodem modo & ſcribant & pronuncient Latini.

Ita igitur me huc uſque cum Græcis conſtitiſſe opinor, ut ab injuſta & imaginaria eorum poſſeſſione ſi non Romulum, certe vocabulum ejus adſeruerim, & appareat prorſus eſſe incertum & imbecillum, quicquid pro eo adferant, nec minus origo Romuli quam laus ejus inveniendæ publica ſit & in medio poſita. Quo facto utrum laxiorem cogitationi meæ aperuerim aream, an periculoſiori abrupto & diſcrimini me admoverim, haud facile dixero. Quid enim profeci? Eripui videlicet

illum ſuo loco, ubi tanto jam tempore ſecurus hæſitaverat, ut ubique & ſimul nuſquam foret. Eripui illum uni, ut in infinitum vagarer ad eum alteri ignoto transſcribendum. Eripui Græcis, ut Europa reliqua, Africa & Aſia de eo ambigere inciperent, hoc eſt, eripui eum litori, in quod benigne forſan expoſitus erat, ut in abyſſum vaſti maris, in tartaream caliginem ac dubitationem depreſſus æternum ignoraretur. Quales enim quæſo harum trium mundi partium iſto tempore habitus cultuſque hominum ſimul & locorum, quales in hiſtoria reliquias habemus præter obſcuriſſimam quandam noctem? Nihilominus licet nobis felicitas Polycratis non adſit, ut ab piſcibus eum ad nos relatum iri ſperemus; non tamen aliter à me actum oportuit. Quum enim plane ſupponam talem conſiderari debere Romulum ut aliunde profugum & ex aquis ſervatum; id quod nobis etiam non dicendo inculcat expoſitionis in alveo & undis fabula: hinc Romuli navis in ipſo Tiberis oſtio ponenda erat, ſi fortaſſe limitis, quem in mari ſecuit, orbitam ſic & velificationem inſcrutari poſſemus, utrum ille curſus ex occidente, an vero meridie, an denique potius oriente directus fuerit: neque quamvis hoc ipſum inexplicabile ſtatuat ille, quem nos regum hominumque ſapientiſſimum fuiſſe credimus, ne dicam poſt tot ſecula ad orbitam il-

lam

lam relegendam nos accedere, tamen ne delirare me putetis. Venit enim haud dubie Romulus non ex Alba, ſed aliunde. Quippe ſi convenientiſſimam, & ut poſcebant ea tempora, conſultiſſimam reipublicæ inſtituendæ, quam & deſcribunt & tantopere commendant Dionyſius cum aliis ſcriptoribus, rationem Alba ſecum detulit; quis credat, quum Alba fuerit xxx coloniarum mater, nullam earum paribus fuiſſe inſtitutis fundatam, nec eadem via ad famam majeſtatemque graſſari tentaviſſe: at ſoli Romulo repente ſummam quandam prudentiam & gloriæ atque imperii non modo cupiditatem ſed & fortunam importatam fuiſſe? Immo ſi veniſſet Albâ Romulus, & illic ex regio genere, quum regnare potuiſſet, ſponte regno ceſſit avo materno; itane credimus illo tempore aut rarum aut ab conditionibus tam amplis abhorrens fuiſſe muliebre ſecus, ut ipſe inde uxorem liberûm quærendorum cauſa ſibi nanciſci non potuerit? Miſerit paſſim legatos, & petierit ab finitimis connubium ſociis ſuis per varios caſus, è varia fortuna aliunde in unum elapſis; at ipſe, tam alti ſanguinis, faſtiditus adeo fuit & in patria & ab omnibus vicinis, quibus ignotus eſſe non potuit, ut nulli prorſum placuerit vir, quod ex multis apparet, nec immundus nec informis aut inelegans, & ſane magnificus? Sed præter has ſuſpiciones

ſunt ſatis robuſta in veterum monumentorum ſcriniis documenta, etſi ſubobſcura, quibus conſtat partim aliunde eum veniſſe, partim ab Romulo novam linguam Latio invectam, etiam apud eos, quibus fabulari libuit. Prioris generis eſſe opinor, quod antiqui non pauci, quibus ſubtilius hæc obſcura repetentibus aliquid ſuboluiſſe videtur, ſcripſerunt Romulum cujuſcunque filium infantem in Italiam tranſvectum una cum ejus fratre Remo, atque in fluvio exundanti ſubmerſis aliis ſcaphis, ea in qua erant pueri ad fluminis ripam depulſa, illos inſperato incolumes ſervatos, & quum adoleviſſent, Romam condidiſſe: quam vel opinionem vel relationem arguere conatus eſt vel potuit nemo. Ad poſterius videndum prodeſt fragmentum, quod inter ſcedas Feſti legitur, qui iſtic allegaverat Ennii verba talia, quibus ille teſtabatur ab ſe uſum Græci ſermonis Romæ datum, & adnectit Feſtus. *Non Romanos ait Græce loquutos, cum Romulus urbis conditor verbis Latinæ linguæ loquutus ſit.* Hic plane audimus Romuli ætate illos Latinos, qui non erant Romani, quales erant quoque Albani, uſos eſſe lingua Græca, ut quidem illi putabant, quod jam in medio relinquimus, licet ſi pro Græca illa neſcio quam peregrinam ignotamque ſubjecerimus, non cenſeam nos erraturos. Sic ergo illos non Romanos loquutos

audi-

audimus, quum Romulus non niſi ea lingua, quæ mox Latina dicta eſt, fuerit loquutus, hoc eſt, eam ſimul cum urbe condiderit. Unde habuit illam linguam Romulus? ſecumne ex Alba attuliſſe credimus? Videlicet ut in itinere xx millium paſſuum ſic ſubito & ipſe & os ejus transformaretur, ac neſcio quæ aëris mutatio repente eum adflans, totum eum retexuerit, adeo ut ex Albanis portis egrediens & Albano ſermoni, qui multum ab Græcis traxiſſe fertur, imo ubi, quippe apud non Romanos, Græce Feſto teſte loquebantur, adſuefactus, ut Romæ locum tenuit, oblitus priorum inauditas inuſitataſque voces protulerit. An vero aliunde? ne id quidem potuiſſe videtur, niſi & ipſe univerſus aliunde profectus ac plane peregrinus, peregrina omnia, linguam quoque peregrinam ſecum advexerit. Id quod veriſſime contigiſſe, apparet ex vocibus, quæ hic illic ex ſermone priſcorum Latinorum ſervatæ ſuperſunt, nihil profecto illæ minus quam vel Græcæ originis aliquid, nihil illæ minus quam ejus quæ mox per Romam proceſſit Latinæ cognationis quidquam præferentes. Quod ſi jam illum ab occidente arceſſere velimus, equidem Maſſilia Tarquinii Priſci temporibus & cxx fere annis ante Salaminiacum prælium tanto poſt Romulum illic condita, velut publicum enunciat ejus regionis indicium, ſcilicet meram tunc ferita-

tem fuiſſe, non mœnibus cincta oppida, armis non legibus vivere, nullos agrorum cultus, omnia tunc primum ab Phocœnſibus ſenſim introducta, ut non magis inde nitorem iſtum Romulus addiſcere & exportare ſecum in Italiam potuerit, quam Siculi vel Sicani, quos etiam ex veteribus quidam ab Sicori Hiſpanico amne derivare voluerunt. Quin etiam ex fato hujus Maſſiliæ tacite cognoſcimus, ſi aliunde venit Romulus, plane non veniſſe ex Græcia; quæ quum adeo accurata fuerit in annotando & tempore & omni eventu coloniæ ab Phocæa progreſſæ, haud dubie accuratior fuerit futura in diſceſſu Romuli ab metropoli ſua ſignando: maxime quum Roma tanto nobiliorem gloriam auctoribus ſuis allatura, quam Maſſilia, quanto rerum geſtarum magnitudine eandem ſuperavit. Quare nihil eſt, quod partes verſus occidentem atque adeo Europam moremur. Quod ſi dein meridiem ſpectemus, ſane illic quidem jam res mundiores & vita cultior, jam Utica, jam Carthago inclita, & illa felicia per Byzacium emporia ab Lybo-Phœnicibus diu condita: ſed tamen quicquid ex ea hoc tempore venit, præter pauca fabuloſum eſt omne; nec vel mores vel inſtituta, quæ ſequutis temporibus fuere magis patefacta, ſanequam contraria, permittunt, ut quicquam de meridie vel ſuſpicemur; ita ut nec ex antiquis tale quid

ſuſpi-

ſuſpicari ſuſtinuerit quiſpiam. Reſtat ergo, ut converſi ad orientem excitemus velut ex imis manibus, ſi qua illic exſtiterint tam congrua & paria illis, quæ in Romulo audimus, ut videri poſſit inde ipſum conſcendiſſe. Et ſane, ſi circumſpecte & penitus attendimus, non modo multa occurrunt, quæ opinionem fidemque noſtram huc quaſi gubernare videntur, ſed omnino & tam multa & tam robuſta hîc ſe ſtipant, ut aliter imaginari quiſquam ſibi nequeat. Omitto rituum inſtitutorumque convenientiam, quam & operoſa induſtria collegerunt admiratique ſunt viri docti; ſed tamen an ab Romulo ipſo omnia venerint, vix conſtare poteſt. Ad videndum pleniſſime Romulum non deducet nos hujus vel illius opinio, non fabuloſa narratio temere admiſſa ab pluribus. Placent hic nobis talia, quæ proprie Romuli inventa atque inſtituta & ſunt & eſſe ſcimus conſenſu omnium, illum ſolum profitentia auctorem fundatoremque. In his ſunt ratio divini cultus, voces tum nudæ ſimpliceſque, tum ex iis compoſitæ loquendi ſpecies illæ, quas certiſſime conſtat vel ſub Romulo vel ab eodem plane conſtitutas, denique ipſius vocabulum. Quæ ſi contemplemur, omnia illic ſedem habent, illuc nos trahunt, & digna exiſtimamus, in quibus breviter exeratur noſtra attentio. Jam primum animadvertimus vehementer diffidere

auctores in rite annotando, quæ vocabula velut numen aliquod ſignificantia Romulus coluerit. Livius quum diſtincte diverſeque nominaſſet Lycæum Pana, Neptunum Equeſtrem, Jovem Feretrium, Jovem Statorem, intermiſcet tamen Deos, quorum aliis Albano ritu, Herculi autem Græco ſacra fecerit; qui quidem Dii alii, quales fuerint, lectori divinandum dedit. Dionyſius omiſſo prorſus & Pane & Hercule, appellat Jovem Regalem, Jovem Subterraneum, Neptunum vel Conſum, tum quoque effundit non modo θεοὺς καὶ δαίμονας ab eo cultos, ſed & tributim curiatimque ſacerdotes ab eo deſcriptos, qui pro civitate facerent ſacra, ſingulis etiam curiis attribuit Deos ſuos ac dæmonas, & in hac ipſa narratione nullum nomine deſignans, denique poſt adſcitum Tatium oſtendit ea ſacra inſtaurata fuiſſe Iunoni Quiriti. Id quod ſic obſcure narrat, ut hariolari nemo poſſit, utrum ea ab Romulo ſolo, an ab Tatio conſecrata fuerit, integri Deorum Dearumque gregis auctore, ſi fides Dionyſio ac Varroni. Sed præterea quam recte Dionyſius pronunciaverit de his Diis ab Romulo productis cultiſque, egregie apparet ex inſtitutione Διὸς καταχθονίου: quam ſic factam eſſe ſcribit, quia mos erat Romanis, quos volebant impune occidi, eorum corpora devovere Deo cuipiam, præcipue

inferis,

inferis, id tunc quoque feciſſe Romulum. Credimus ſane morem eum, hoc eſt, ſacratas leges fuiſſe Romanis. Sed an credimus quoque hunc ordinem ſolemnitatis ejus inventæ? Saltem ſi fuit in uſu Romanis ante Romulum, hic inſtituere non potuit. Quod ſi Grammaticos jam adeamus; hi quum viderent in ſcrutandis antiquitatibus, quam pauca certe & ſerene & liquide tradita in prioribus Romæ annis eſſent, atque ideo debuiſſent facere inſtar Geographorum veterum, qui ubi in mappis conſiciendis veniebant ad terras incognitas, adſcribere ſolebant ad leniendam ignorantiæ confeſſionem vel ab paludibus vel arenis vel frigoribus ac nive vel tenebris reliqua obtineri; vice verſa illi dum inter ſe contendunt de rerum vocumque originibus, ſine ulla parcimonia Romulum nobis exhibent tot numinibus ſuccinctum, ut vix quid Numæ potuerit fuiſſe reſiduum, invenias. Itaque ut hic cum ratione diſcrimen faciamus, non tantum hos derelinquimus, ſed etiam ex Livio ipſo & Dionyſio nullos alios poſſe admitti jure cenſemus, niſi qui & ab utroque ſimul agnoſcuntur, & à nullo alio eorum, qui aliquod eruditionis ſpecimen cum laude ediderunt, in dubium vocantur. Hinc non Livianum Pana, non Herculem, non Albano ritu cultos alios Deos indulgemus: non Dionyſii Deos ac Dæmonas pro Romuli idolis venditari pati-

mur;

mur; tanto quidem juſtius à nobis ita decerni exiſtimantes, quod ſi ullus, certe Romulus & ipſe fugit peregrina cerimoniarum, & ut idem inculcaret populo ſuo, omni ope anniſus adeo cernitur, ut etiam prorſus id evicerit, effeceritque ut præcepto hoc ſuo ſancte ab poſteris ſervato, inde eſſe, quod cum tam paucis Deis teſtamenti factionem habuiſſe veteres eoſdem Romanos in ſententiis dicat Ulpianus, adverterint viri docti. Hinc igitur quid exiſtit? nempe ab Romulo divinis honoribus nullos cultos, niſi Conſum (qualecunque id fuerit numen, quod quidem eſt unum ex incertiſſimis) & Jovem Feretrium & Jovem Statorem, hoc eſt, unum Jovem, cui nunc cognomen Feretrii adſignavit, nunc Statoris, nunc quoque, ut ego & certiſſime arbitror & validiſſime confirmare poſſe video, Conſi. Peragremus nunc licet ac mentem noſtram ſpeculatum mittamus vel in Septentrionem & Græciam vel in Occidentem, vel Meridiem; nihil tale uſpiam illic reperiemus. Solus oriens hîc nos illuſtrabit & ſacratiſſima Moſi volumina, ex quibus percipimus ipſos illos, qui è fæce humana beneficio Dei altiſſimi exempti primo eum vere cognoverunt, hac ratione venerandi illum & gratæ ſuæ mentis ob præſentiam majeſtatemque ſuam ſingulari auxilio exhibitam, & ut loquebantur Hebræi, ob lucentem ejus faciem decla-

declarandæ uſos fuiſſe, & ſic quaſi numen variis locis dediſſe. Quid enim aliud eſt fateri Jovem Feretrium, Jovem Statorem, Jovem Conſum, quam quum Abrahamus ipſe nunc DEO APPARITORI, nunc apud Moriæ montem DEO PROVIDENTI aras erexit; modo agendi per ea tempora & loca ſic frequentato, ut ne fœminis quidem hæc auctoritas abfuerit, etiam Agare auſa Deum cognominare VIDENTEM. Non quod Hebræo generi illum inſertum eam, aut opiner veri numinis notitiam illi adfuiſſe; ſed quod quum ille mos etiam apud gentiles orientis populos obtinuerit vel idola ſua vel Deum quoque verum variis cognominibus pro re nata celebrandi, utpote Abimelecho etiam in lucis Berſebæ invocante DEUM SECULI vel ÆTERNUM, ex horum aliquo aut oriundus ſit aut inter illos educatus in Latium denique quoquo modo delatus ſit. Nam quum illa conſuetudo ſic cum numine agendi obtinuerit nuſquam; quum in omnibus aliis terræ partibus mirifice multa quædam Deorum Dearumque nomina & ineptiora cognomina aliunde ſumpta coluerint, etiam in hac ipſa Italia, ut hoc tempore docent Sabini; unde Romulus talem unum Jovem aut commentus eſt aut comminiſci potuit cum cognomine ſic variato, prout

tem-

tempus & ipſa res id ſubjiciebat, potius quam aut pro Jove Feretrio Victoriam aliquam aut pro Jove Statore Ἐςίῳ conſecrare, ut fecerunt Romanorum poſteri & ante ipſos Græci? Id ſane Romulo in animum venire non potuit, niſi ex Syria attuliſſet; de quo ut dubitare ultra nequeatis, faciet profecto vetuſtiſſimus ille Phœnicum hiſtoriæ conditor Sanchuniathon, ſolo exemplo idoli ejus Palæſtinorum, quod DAGON vocabatur. Is ipſe enim Dagon, quoniam credebatur inventor fuiſſe frumenti & aratri, dicitur illic appellatus Ζεὺς Ἀρότριος, quaſi Latine Jovem Aratorem dicamus. Et ſicut Græce eum nominari auditis, ſic interpretatus fuit verba illius ſcriptoris Philo Byblius: ſed quum Sanchuniathon lingua Aſiatica uſus fuerit, is haud dubie illud Græcum Ζεὺς debuit expoſuiſſe non multum diſſimili vocabulo, quam quo vel popularis ejus Abimelechus vel alii, quos ſupra citavimus, id ipſum expreſſerint. Licet enim notum mihi ſit, quid de piſce ſcribant viri docti; tamen quum tam vetus ſcriptor ita memoret, idque cum literarum quoque etymologia conveniat, nullam cauſam video, cur alterum præponam, præſertim quum in utroque ſe exſerere ſuperſtitio potuerit. Immo quod plane in Exodo memorari novimus in confiniis Ægypti & deſerti prope Palæſtinam

BEEL-

BEELZEPHON, quod idolum exiſtimant eruditi tuendo iſtic limiti & coercendis fugitivis ſtatutum eſſe, an non ſummo jure adſeverabo ipſum eſſe Statorem Jovem, etſi diverſus quidam ſit inter hæc duo reſpectus? in tantum, ut hanc conſiderationem coronare ſuſtineam verbis Senecæ: *quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum compellare, & Jovem illum optimum ac maximum rite dices & tonantem & ſtatorem. Quæcunque voles, illi nomina proprie aptabis vim aliquam effectumque cæleſtium rerum continentia. Tot appellationes ejus poſſunt eſſe, quot munera.*

Quod ſi ad ipſam linguam accedamus & voces, quæ non poſſunt niſi Romulum habere inventorem, jam certe firmiora atque etiam ſplendidiora Orientis exſtabunt veſtigia. Veriſſime conſtat ab Romulo veniſſe, quod locus, ubi aſylum ſanxit, fuerit appellatus INTER DUOS LUCOS. Sic Livius, Vellejus, & elegantiſſima, ſed ad tempus & os ſuum lenita, de Epicuri diis inter duos mundos tanquam inter duos lucos habitantibus loquens alluſione divinus ille Tullius. Qui loquendi mos talem conſtructionem tuetur? Non noſtræ hodiernæ, non Græca lingua, non Latina per Romam introducta id patitur, ut hæc ſit diſtincta & ſedula cujuſdam certi loci deſcriptio, non magis quam ſi ad hoc ipſum ædificium ſignificandum dicat aliquis *inter duos*

pontes. Utique etiam quum poſtea Romani jam extendente ſe illorum magnitudine audi-rent nomen Gallorum qui ab occidentali la-tere Alpium habitarent, non appellavere eos vel ipſam Galliam ſimpliciter *trans Al-pes,* & ſi forte ſic aliquando has duas voces dixiſſent, non ſtricte per eas intellexerunt Gallos vel Galliam, ut, quum Romulus dixit *inter duos lucos*, intellexit locum conſecra-tum & aſylum, ſed ut clare Polybius ex Ro-mano ſui temporis more Γαλάτας Τρανσαλπί-νους. Ergo non capiens hoc Dionyſius, quum illud Romuli aſylum deſcriberet, auſus fuit dicere, ὃ καλεῖται νῦν κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον, μεθόριον δυεῖν δρυμῶν, idque Lapus itemque Nardinus ille alioqui diligentiſſimus & ver-borum obſervantiſſimus interpretantur, *quod nunc lingua Romana vocatur intermontium duorum quercetorum.* Ignoſcat Dionyſius, ignoſcant Lapus & Nardinus, utrumque eſt vel ab vero vel ab veriſimili alieniſſimum: id quod Cicero, Livius, Vellejus & ex iis Gelenius ſine fuco nobis oſtendunt. Nihilominus fa-tendum eſt ſic potuiſſe illos dicere, & ſic dicturos fuiſſe etiam poſteriores, ut dixerunt quoque confinium, intervallum, medium. At Romulus in Italiam nuper advectus dixit *inter duos lucos* aſyli locum & ipſum aſylum ex ſitu innuens. Eant jam, qui Romulum ex Græco ſermone petunt, & hoc auribus no-

ſtris

ſtris inconditum & fere dicam inficetum loquendi genus ex ejus proprietate arceſſant, qui, aut valde fallor, ſatis in vacuum ſudabunt. Quidquid enim hoc eſt, totum eſt Orientalis linguæ, non modo quod illic eandem particulam eſſe apud Hebræos, quæ ſimul *inter*, ſimul *medium* interpretatur, norimus, ſed quod adverbia & præpoſitiones loco nominum ponantur, ut ex plurimis exemplis illic occurrentibus notum eſt.

Negari nequit, per ſolum Romulum in urbem Romam veniſſe vocem *Patricius*, quæ quantum negotii faceſſere potuit omnium retro ætatum eruditis viris? donec tandem inceperunt videre duas poſteriores ſyllabas in ea tantum eſſe vocabuli productionem, ſcribente Voſſio; *ut ſit ædilicius*, *tribunicius*, *latericius*, *novicius*, *ſic à patri patricius*: & is hactenus progredi potuit. Sed nihil abſolvit. Nam ut indulgere forſitan licet progreſſum hujus analogiæ, tum quis Voſſio dixit *patrem* in hoc numero ullibi ſignificare ſenatorem? Livius certe, quem citat, ſcribit patres ab honore patriciòſque progeniem eorum appellatos. Et quum *Eques* perſæpe nunc pro equeſtri ordine, nunc pro ejus membro reperiatur, nuſpiam memini hocmodo *Patrem* vel pro ſenatorio ordine vel pro una ejus parte occurrere. Præterea fuitne ſingularis aliqua Romulo cauſa, ut, quum per

patricios demiſſos à voce *patri*, qua ſenator exprimatur, illam partem civitatis denotaſſet, illos, qui plebi ſuccederent, non etiam appellaret plebicios potius quam plebejos? Utique enim vel iſta juſte ſibi opponerentur, vel conſiſtere poterat in patriis ac plebejis. Eant igitur rurſum, & quærant hoc acumen in lingua Græca; prius ſane Calendas in ea inventuros ſat ſcio. Sed quid glorior? Immo invenit Dionyſius, ſine dubitatione factam ab Romulo diviſionem populi in patres & plebejos referens ad exemplum Atticæ reipubl. cujus incolæ in Εὐπατρίδας & Agreſtes deſcribebantur. Habemus documentum noſtro prorſus congruum, & ſic valens, ut ejus auctoritas per XVI ſecula mundum obſeſſum continere potuerit. Sed quæcunque illa efficacia eſt, nunquam nos pronunciare deſinemus eximie abſurdum fuiſſe egregium illum ſcriptorem. Præterquam enim quod ipſe referens duas opiniones de uſurpato patris vocabulo, quarum nullam potuit affirmare: tum is ipſe non invenit Græcam vocem, qua ſuis civibus vim Latinæ interpretaretur. Facit id quidem, ut ſemel eoſdem, quos vocavit πατρικίους, appellet εὐπατρίδας. Sed profecto vel cæcus videat longe ab iſta notabili vocis ab Romulo fictæ formatione abeſſe vocem Græcam. In hac penitus exprimitur, quod intelligendum datur, nec modo genus paternum in ea conti-

netur,

netur, ſed & bene illud ſe habere prædicatur. Ejus nullum ſignum eſt in Latina: hinc fieri omnino nequit, ut ad Romuli ingenium quis ad Græca reſpiciens perveniat & recte adſequatur, unde ille & quo exemplo invenerit illud ſuum *patricius*. Certe itaque, ſi attendimus, patricii ex indole Latini ſermonis ſunt omnes homines, & omnes homines patrem habent, ſi ſpurios Juriſconſultorum excipias: & vis Romana in eo non deprehendetur niſi ab eo, qui ad orientem decurrat, in cujus ſermone eos, quos proprie dixeris Latine filios patris vel viri, pro honoratioribus civibus accipi videas. Certe etiam omnes homines vocare poſſumus filios viri vel patris, ſed ille Aſiaticæ linguæ genius, ſed proprietas, ſed uſus, qui ſuper omnia dominatur, quandam in eo excellentiam conſtituit, & ſicut ab Romulo fuit agnitus in formanda voce *patricius*, ſic prorſus evincit inde illum veniſſe.

Romulum quoque auctorem habet vox *tribunus*, qui propterea & Romanis univerſis, & omnibus poſtmodo viris eruditis ingens labor; ſed quia quaſi ſponte procedere videbatur,ut hæc quidem vox abLatino *tribus*, hæc rurſum ab Græco τριττὺς aut etiam Latino *tres* veniret, valde vero ſimilis hic fons; ita ut denique inauditis Romanæ reipubl. verbis, ſcripſerit Voſſius prior, ſibi placere tribunos dictos, quia præerant tribubus: quum nulli

unquam Romæ hunc honorem habuerint, qui ſe præeſſe tribubus gloriari poſſent vel auderent, maxime ſi ab ipſis regibus diſceſſeris. Sed quam plane non habeat originem Græcam hæc vox, inde ſatis conſtat, quod parem huic quoque vocem ſcriptores poſtea Græci reperire nequiverint, nunc χιλίαρχον exprimentes, nunc etiam τριττυάρχην cujus utriuſque nihil eſt in voce Latina *tribunus*, in qua nulla ſpecies præfecturæ vel interpretatio imperii, ne quidem eminentiæ alicujus. Videntur id bene percepiſſe Ægyptii interpretes, qui in vicem vocabuli, quod in uſu quidem Græcis erat, ſed elegantiam & ingenuam vim ſimplicitatemque vocis Hebrææ per id plane non ab Græcis efferri videntes, quod tamen ipſi omnibus modis fieri cupiebant, cuderunt novum illud τριστάτης, plane impolitum & quod ſi ad Græcam linguam voceſque ſimiliter natas exigatur, omni riſu exſibilandum, & omnino non par vel Latino vel Hebræo. Sed nec ab Latino *tribus* id deduci poteſt, quum tribunus Celerum, qui necis auctor Remo fuiſſe proditur, diu ante memoretur, quam tres tribus fuit multitudo populi Romani, utpote ſtatim poſt introitum in Romæ locum & orbitam mœnium condendorum exaratam, quo tempore etiamdum nulla deſcriptio civium facta, nedum deſcriptioni impoſita nomina: ne dicam ex hoc

hoc hiſtoriæ ordine apparere vocem ***tribunus*** pertinere ad militiam, quum vox ***tribus*** in togata turba acquieſcat. Quo igitur ibimus ad aliquid veri & nativi fulgoris huic voci inferendum? Videlicet omnibus modis præclarum eſt fragmentum Varronis IV L. L. ***Ager Romanus primum diviſus in partes tres, à quo tribus appellatæ Tatienſium, Ramnium, Lucerum. Sed omnia hæc vocabula Tuſca, ut Volumnius, qui tragœdias Tuſcas ſcripſit, dicebat.*** Sit ſua laus ſarta tecta huic Volumnio, qui undecunque hanc opinionem & fouit & patefecit. Agantur grates Varroni, cujus interventu Volumniana illa adhuc in mundo ſunt. Veniunt nimirum omnes illæ voces ab origine Tuſca, non illa, quam expeditione ab miſeris Græculis fabricata per Tyrrhenum ex Lydia attulerunt: ſed quam robuſtiſſime viri in ſtudiis excellentiſſimi & ante omnes incomparabilis ille & literarum omnium & hujus Academiæ flos Joſephus Scaliger Aramæam vel Syram ex plurimis & infinitis & invictis indiciis demonſtrarunt. Sequimur enim haud dubie Volumnium, & omnino ex Oriente tranſlatam ad Italos vocem ac derivationem credimus, ut ſicut in Italia ab ***tres*** deductus eſt ***tribunus***, voce profecto nihil minus quam ſignificatione ſua originem aut derivationis cauſam teſtificante, ſic ab Hebræo שלש ***Schalóſch*** etiam nunc no-

to veniat שָׁלִישׁ *Schaliſch*, nulla ſignificationis vera elucente cauſa; etſi ea frequens ac multiplex detur, non alio profectu, niſi ut qualiſcunque mereatur repelli. En eandem ſimilitudinem & convenientiam in derivando tam Hebræo quam Latino vocabulo, qualem non etiam in aliis reperiemus linguis, ut ex earum aliqua id petiviſſe Romulus dici poſſit, ſed ſecum ex Aſia tuliſſe.

Denique illud tantopere moleſtum & hactenus à nobis in medio derelictum an non etiam in jus redigere dominiumque orientis poſſimus, videamus. Perſto enim & firmus maneo in hac adſeveratione, quod ſi ab Græcis proveniſſet appellatio Romuli, fore, ut plures eodem modo & iiſdem temporibus ſic appellatos noſceremus, in gente, cujus tot monumenta, tot viri ad notitiam noſtram venerunt. Itidem ſi in Latio ab paſtore aliquo Fauſtulo eandem accepiſſet, ne illic quidem cum eo ſolo & ortam & exſtinctam fuiſſe, quod tamen ſic contigiſſe experimur. Itaque vel ab ipſo hoc nomine diſcrimen controverſiæ hujus fieri opinor, & firmiſſimum inde vinculum eſſe, non aliunde aut eos qui Romulum ſic vocaverunt, aut ipſum Romulum petendum eſſe, niſi ex Aſia. Sed quid ita feſtinus ad palmam enitor? Certe enim in Aſia totidem Romulos habemus, quot in Græcia, hoc eſt, nullos; neque hactenus vel auditum

vel ſcriptum eſt appellationem talem inter Aſiaticos obtinuiſſe. Itaque mirifice concurſandum eſt illi, qui eam iſtic ſe invenire præſumat. Quid tamen in hac parte deſperamus? Videlicet lingua eſt delicata res, nulli obnoxia neceſſitati, nullis vinculis, nulli origini gratiam faciens ejus quod ipſa fieri decrevit, & ſi quid ex peregrina regione in ſuam transſcribere contendit, nulli parti vocabulorum parcens, quo minus vel in principio, vel in medio, vel in fine ad genii ſui & adſuetæ agilitatis morem illud transformet. Hinc mirum non eſt, ſi Romulus, nomen non niſi ab Latinis vel Græcis inſuſurratum nobis, nullum inter Aſiaticos facile repererit cognominem, quorum ora & prolationes toto cœlo differunt. Quis opinetur Gordyæos Armeniæ montes tam diverſa nomina ſortiri potuiſſe? Et quantas varietates vel potius perverſitates admittere coactum fuit illud Melech, ut modo Aſiæ, modo Africæ, modo Europæ uſurpatio ejus pateret? Profecto talium nec finis nec modus eſt, ita ut credi illæ vix poſſent, niſi res ipſa palam comprobaret. Hinc mirum videri nequit, ſi in vocabulo Romuli ad Latinum os apte componendo, & ex Syria in Latium tranſvehendo aliqua varietas acciderit; immo tanta, ut hodieque illic id ne quærere quidem aliquispiam ſuſtinuerit, utpote penitus quaſi ab Charybdi abſorptum, ſubmerſum obſcu-

rumque. Et tamen illic latet. Quid enim multa moror? An non habemus notiſſimum inter Iſraelis poſteros, incolas Syriæ, Pekah filium Remaliæ, ut in ſacro noſtro codice nominatur? At is ipſe & ab Ægyptiis interpretibus & ab Joſepho plane ſcribitur υἱὸς Ῥομελίου, ab Nicephoro autem Ῥωμελίου. An mirum eſt id nomen in Italiam vectum mutaſſe & vocalem & terminationem ex placito Aſiatico in Europæi illam ſpeciem, quæ Latio & iſti Græciæ blandiebatur, quum jam in aliis Aſiæ partibus & Ægyptiis Græcis ne quidem aliter tranſlatum deprehendamus?

Abſolvi, Auditores, ſententiam, non illo fine, quod eam vobis imponi & eruditiſſimorum hominum, qui maxima laude cum laboribus & mortalitate tranſegerunt, opinionem inde elevari à vobis velim, ſed tantum quaſi jactato in medium honeſtæ ac decoræ diſcordiæ malo perſcripſi auctoritatem meam, ut exemplo hoc & exiguo ſpecimine vos excitem & ſerio inſtigem, ut videntes tantam veſtro labori non minus & ingenio, ſed etiam nomini & accreſcenti gloriæ materiam reſiduam ſupereſſe, accingamini ad illam contemplationem, ita vos parantes, ut illuſtres illæ animæ ſummum profecto decus meritæ, volunt & cupiunt. Quid autem illud eſt? nempe non aliud, niſi ſicut illi contenderunt in hoc, ut rerum divinarum humanarumque perita conſidera-

ſideratione non ſimiles, ſed ſuperiores evaderent doctis præcedentium annorum viris, ita vos non adſequamini modo illorum laudes, & inſtar ſpeculi repercuſſu illibato quidquid illi opponitur fideliter reverberantis, redderetis, ſi quid utile vobis ab iis infuſum eſt, ſed etiam inſtar fertilium agrorum multo plus adferentium quam acceperant, eaſdem exſuperetis. Quas quum opiner eſſe & veſtras & parentum veſtrorum deſtinationes, eſt quod feliciter dicam vobis hanc ædem velut remotum ab rerum domeſticarum cura & illa vulgari conſanguineorum frequentatione ſeceſſum ſortitis, ea voluntate, ut per hanc auraſcentem auram, hanc frigoris caloriſque mundam temperiem, ſoluti torpore, tanquam ſinceri therapeutæ vacaretis contemplationi altiori & quaſi manu comprehenderetis id quod petitis. Quemadmodum ægroti non niſi remotiſſimi ab omni ſtrepitu dormire poſſunt, ita in vobis conſuluerunt parentes & cognati, ut hoc velut ſacratiſſimo hujus urbis ſepto incluſi per hujus Pierii ſecreti taciturnitatem & malaciam, per hæc juventutis veſtræ limpidiſſima halcyonia animis veſtris medelam quæreretis, ut ſani, valentes & adverſus omnia vitia firmi aliquando domum reverſi quiſque ſplendorem natalium ſuorum illuſtrare pergeretis. Quod quum huc uſque proceſſerit, facite ut potentiam quoque facultatemque

ad

ad perſtandum & incumbendum propoſito ſimul apportetis, & ut ii, qui ſcalam adſcendere cœperunt, non prius deſiſtite ab ulteriore niſu, quam ſupremum attigeritis gradum. Quem quidem ſine dubio obtinebitis, ſi in hac parte non aliter quam in civili vita & aliis opificiis agentes commodas machinas & juſta inſtrumenta circumſpiciatis, verumque & ſolennem teneatis in progrediendo ordinem. Non poteſt ferrariæ arti decenter inſervire lignariorum aſcia, non ad vitrea flanda facit rota figularis, non magis quam tibia prodeſt athletis. Similiter nec in artificio procandi Muſas, hoc eſt, eruditionis colligendæ & poliendi ingenii progreſſus aliquos, ne defunctorios quidem fieri poſſe & deprehenſum eſt, & quotidie deprehenditur, niſi adjumenta congrua illuc adferantur. Sed neque ſcala adſcenditur, niſi per ſingulos ordine gradus & pedetentim: nec qui mechanicis artibus diſcendis deſtinatur, aliter quam per ſimpliciſſima tirocinium ponit, & longo tempore ad artificioſiora producitur. Hoc quum ſit adeo verum, adeo ſicut in illis, ſic quoque in ſtudiis, conſpicuum; tum ſi recte attendas, fruuntur ſtudia hoc privilegio, ut aliena inſtrumenta iis admoveri nequeant. Quid enim? nempe placuit Deo Opt. Max. ne qua niſi ab Hebræis, Græcis & Italis quædam conſcripta ad ſcientiæ & ingenii humani polituram

ac notitiam noſtram venirent: immo has tres gentes nobis proponere, ut quæ ſolæ illud doctrinæ bonum, licet diſpare ſucceſſu, amaverint: porro has ipſas reliquias mirabili providentia ſic involvere, ut ad ſingulorum intelligentiam altera alterius egeat auxilio. Nihil doctum per hæc ſecula agnitum, niſi quod ex his colorem traxiſſet: nihil fertile, nihil facundum & placens, niſi quod his velut medicamentis primo ſuffectum & præparatum ad ſapientiam concipiendam fuiſſet. Rurſus etiam vice verſa nullus hac quaſi decocta irrigari ſe & prolui paſſus eſt, quin ſolidos plenoſque, quos ſpoponderat, coegerit fructus & ad perfectum veræ cognitionis gradum venerit. Nunc tu ut aliquid inde reſciſcas curioſius ac lucreris, potes eſſe tam ineptus, ut alia ex his ſegreges velut aliena, alia velut propoſito tuo unice commoda deſtines, eaque ſic nuda deſtitutaque aggrediaris, & non pariter ut verus πειθοδινης omnia horum monumentorum naufragia ſi non revolvas ſedulo & perſpicias ex igaſque ob ſpatii hujus Academici brevitatem, certe ita te pares, ut aliquando quum Deus beatam ſedem laboribus tuis lautamque & quietam ſecuritatem proſpexerit, capax ſis potenſque ad illa ſapientius enucleanda, quam priores fecerunt, etiam priorum induſtria adiutus? Rurſus quoque horum aliquid vel rite ſe inſpicere quis putet, vel fortiter

præ-

præparare ad ea quandoque inſpicienda, ſi hodierni hominis neſcio cujus ingenio vel potius licentiæ ſpem & operam ſuam crediderit, ac prætextu rapiendi tēporis allicefactus fraudulenta ſpecie, velut in unam Myconon illis omnibus tam diverſis colligatis, brevi impetu deglutire conans, cum ſtudiis tam ſegniter agat, ut Athenienſes cum navigatione in inſulam Delon? Ne crede, o juvenis, & ut nequeas nec velis credere, intercedunt tot tantis experimentis approbata robora, quorum partim in hac cathedra triumphales linguas, partim laureatis calamis ſcripta volumina tantus ex univerſo orbe circumſonuit plauſus. Hæc fulgida nomina hunc certe locum tanto ſplendore circumdederunt, ut macula, ut nubes ulla huc inſinuare videatur non poſſe, adeoque exactum ſtudiis ordinandis vel proprio exemplo vel præceptis præſcripſerunt limitem, viamque adeo apertam & veram muniverunt, ut eam ſequens labi nemo queat: &, qui ab illorum monitis diſcedunt, & laborum gradus fieri non patiuntur,ac ſtatim ab ipſis elementis in medium petunt admitti thalamum ſcientiarum, pro Junone nubem cum Ixione amplexaturos cecinerunt: & certe, ſi bene adſpicias, ut impetrent multum, utique aberit conſcientia profectus ab ſummo petiti, nec poterunt ullas opes velut ex ſanctiore intus ærario quodam proferre. In quam labem

per

per, vos, exſpectationem veſtram ne permittite ut conjiciamini, nec lenti & incauti vivite nunc ſalem vehentes. Vos iſta annorum juventa; iſta naturæ indole, tam virentibus genibus feſtinationem & ſpes præproperas aut legendi tædia, quæ evenire poſſunt, ad excuſationem deſidiæ allegare nolite. Sumite potius animum parem tantæ rei, cujus potiundæ decus adfectatis. Eruditio eſt, hoc eſt, mens bona; hoc eſt, compta ſuper vulgus lingua, hoc eſt, facultas de vero falſoque exiſtimandi & juſta rerum contemplatio, illa eſt, quam indipiſci vos velle profitemini: res profecto non vilis, aut parvo conſtans, ut acervatim peti poſſit, non quæ in luſtris ſtabuletur, non quæ per ſoporem ac ſegnitiem forte fortuna clauſis oculis inveniatur, non quæ procurrentibus furibundo impetu velut andabatis ultro occurrat. Labore, contentione, fuga voluptatum, nec momento, ſed ſenſim & per ſucceſſionem tardam procedendo recte ambitur, & ſic tamen vel precaria admiſſio vix obtinetur. Ex hoc non meo, ſed omnium, qui fuerunt unquam eruditi, etſi & meo conſilio tam fideli quam ſimplice, robuſta ad progrediendum ſupponite conatibus veſtris præſidia, & regreſſi quiſque ad divortium, in quod ſuus genius illum rapit; labores vireſque veſtras acuite, omnia non alium in finem, niſi ut quemadmodum olim Athenæ Atticæ ob memora-

mora-

morabilem juvenum ad rhetoras concurſum nominatæ fuerunt urbs aurea, ſic quoque Leida noſtra ut huc uſque omnibus & apparuit & appellata eſt & vere fuit aurea, tanquam renaſcens identidem lapidicina, qualem in Aſia & Gallia novit Ulpianus, per nos quoque maneat & pergat audire aurea, aurea ob florem confluentis illuc undiquaque juventutis, aurea felicibus liberalium diſciplinarum incrementis, aurea ubere limatiſſimorum ingeniorum proventu & quaſi ex equo Trojano principum in eruditione; aurea denique gentium univerſarum velut gratantium & applaudentium conſono & unanimi concentu. Quod faxit Deus O. M.

FINIS.

99 955628

4. 9